

Deus operari in nobis, quia ipso excitante, & adiuuante fiunt, & sine illius gratia praeueniente, & comitate nulla essent. Nec solum seruos tuos, sed etiam filios eorum, siue naturales, siue spirituales respice, & dirige, vt parentes cum filiis, te dirigente, in via madorum perseuerent, & ad patriam pertingere mereantur aeternam. In hebraeo legitur paulo aliter, videlicet, Appareat ad seruos tuos opus tuum, & gloria tua super filios eorum: sed Septuaginta non legerunt, irabe, appareat, siue videatur; sed, rehe, depta prima litera, quod significat, vide, siue respice: deinde explicandi gratia addiderunt coniunctionem, & verterunt, Respice in seruos tuos, & in opera tua: quamuis enim in hebraico sit, opus tuum, licuit tamen interpretibus id exprimere numero multitudinis. Illud autem, & gloria tua, hebraice, hadarecha, legerunt Septuaginta, hadrech, solis punctis mutatis, quod est dirige a verbo, darac. Itaque lectio graeca non disidet ab hebraica, quam habuerunt Septuaginta Interpretes. Sed & ipsa lectio hebraica, qua sequitur S. Hieronymus, bonum sensum habet, Appareat opus tuum super seruos tuos, id est, operare in seruis tuis per gratiam tuam opera bona; & sic manifeste operare, vt etiam alii videant opera eorum bona, & glorificent te patrem eorum, qui in caelis es, & qui opera bona operaris in eis: & gloria tua similiter appareat super filios eorum, vt etiam in illis opereris opera bona, & per illos nomen tuum glorificetur.

ידאה
ראה

ארהך
ארהך
דלהך

XIX. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.

Id ipsum petit aliis verbis, vt ostendat se valde optare quod petit. Quod enim dixit, Respice in seruos tuos; repetit nunc dicens, Et sit splendor Domini Dei nostri super nos. Deus enim, vt diximus, respiciendo illuminat, auertendo faciem, in tenebris nos relinquit. Quod autem dixit, Et in opera tua, nimirum respice; nunc repetit dicens, Et opera manuum nostrarum dirige

super nos; id est, tu praesidens nobis fac, vt recte operemur, & regulam rectissimam, quae est lex tua, & voluntas tua, semper sequamur. Addit, Et opus manuum nostrarum dirige, vt ostendat, omnia opera reuocari ad vnum opus, quod est radix omnium, & in quo continentur omnia: hoc autem est opus charitatis: nam qui diligit, legem impleuit, Rom. 13. Et charitas patiens est, benigna est, &c. 1. Cor. 13. In hebraeo pro voce, splendor, est, naam, quod significat decorem, & dulcedinem: sed decor, & splendor in idem recidunt: & recte Septuaginta verterunt, sit splendor, quoniam decor lucis splendor est. Deus autem lux est, & tenebrae in eo non sunt vllae, 1. Ioan. 1. & Pater luminum est, Iacobi 1. Item pro verbo, dirige, est in hebraeo, conena, quod non solum dirigere, sed etiam stabilire significat. Itaque sensus erit, opus manuum nostrarum perseueranter dirige, vt non solum directio in bonis operibus, sed etiam perseuerantia postuletur.

נסים

נסים

P S A L M. X C.

Titulus, & Argumentum.

Laus Cantici Dauid.

HIC Titulus non habetur in codice hebraico, neque in omnibus codicibus graecis; & sanctus Hilarius in Prologo Psalmorum, S. Hieronymus, Theodoretus, & Euthymius in Commentario huius Psalmi discretis verbis dicunt, eum carere titulo. Sanctus Ioannes Chrysostomus, & S. Augustinus nullam tituli mentionem faciunt. Quare credibile est, titulum fuisse postea additum, vt intelligeremus, hunc Psalmum a Davide fuisse compositum; non a Moyse, vt Hilarius, & quidam alij tradiderunt. Et certe ratio, qua nonnulli adducti sunt, vt existimarent, hunc Psalmum non Davidis esse, sed Moysis, infirma omnino est. Dicunt enim, Psalmos qui carent titulo, illius esse, cuius est Psalmus praecedens: Psalmum autem praecedentem esse

esse